



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118642**

Præfatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)



## PRÆFATIO.

**P**ræfens continuatæ Historiæ tomus vigesimus quintus, seu in ordine quadagesimus nonus exhibet memoratu dignam ultionem, quam de Hugonottarum sceleribus, ac perfidia Carolus IX. Franciæ Rex in festo Divi Bartholomæi Parisiis sumpserat: hanc equidem Calvinistæ balneum sanguinarium, cruentas nuptias, immanem lanienam, & tyrannidem plusquam barbaram appellant, vehementer dolentes, quod Colinius Architalassus sectæ suæ Antesignanus, perduellionis Author, ac Galliæ incendarius promeritas suæ in Deum, Regemque rebellionis pœnas dare coactus fuerit, eapropter impotentibus furiis in ipsum Regem tumultuantur, eumque tanquam unicum hujus cædis auctorem traducunt. Ex horum officina Edimburgi anno 1573. auctore Ernesto Varamundio Frisio prodiit quidam libellus, in quo Auctor se *veram, & simplicem narrationem* proferre profitetur *de furoribus Gallicis, horrenda, & indigna*

*Admiralii Castellionei, nobilium, atque illustrium Virorum cæde, scelerata, ac inaudita piorum strage passim edita per complures Gallicæ civitates, sine ullo discrimine generis, sexus, ætatis, & conditionis hominum. Ex hoc ipso titulo velut hedera acidum hujus Auctoris vinum dignoscitur, qui adeo non veram, sinceramque relationem, ut mentiebatur, exhibuit, ut potius livido dente Franciæ Regem, Lotharingium Cardinalem, Guisios Principes, omnesque Catholicos corroderet, vicissim vero hæreticos tanquam pios, si superis placet, viros deprædicaret, simulque Regem, vel tanquam fraudulentum dissimulatorem, vel perpetratæ cædis Authorem redargueret, eoquod paucis ante diebus missis ad omnes Provinciarum rectores literis nuntiasset, Architalassum cognatum suum magno cum animi sui dolore a Guisio interfectum, seque in maximo vitæ discrimine versatum esse; paulopost vero per tubicines promulgari jussisset, quod sceleratus, atque impius Architalassus Regis imperio interfectus fuerit: ne vero, inquit ipse, harum rerum cuiquam fides in dubium veniat, literas quasdam, & edicta hanc in rem præfatæ relationi suæ subjicit, nullo tamen Auctore aut Archivo, ex quo hæc literas extraxisset, allegato: quoniam vero hæc ipsæ literæ ad præsentem historiam conferre videantur, eas subjicere haud incongruum censuimus, quin tamen*  
illis

illis plenam propterea fidem esse adhibendam contendere velimus, donec de genuina earum auctoritate firmiori testimonio constet: itaque præfati libelli Auctor præprimis Regis literas ad Burgundiæ Præfectum recitat, sub hac epigraphe:

*Regis literæ ad Burgundiæ Præfectum, quibus Rex homicidii in Admirali persona patrati culpam in Guisianos transfert, eosque facit authores illius tumultus Parisiis orti, mandatque se velle edictum pacis nomine a se præscriptum observatum iri.*

„Cognate, ex superioribus meis literis intelligere potuisti, & Admiratio cognato meo inflicto fuisse vulnus, & studium, atque operam, quam antehac ut maxime, ac diligentissime potui, adhibui in authore illius sceleris investigando, & coercendo: qua in re nulla aut cura, aut diligentia prætermiffa fuit. Ex eo autem tempore Guisiani, aliique Nobiles a partibus illorum stantes (quorum non minor, ut omnibus constat, in hac Parisiorum urbe est potentia, atque auctoritas) certiores facti, quod Admirali amici consilium inissent de injuria illa in eorum caput ulciscenda, quippe quos injuriæ illius authores fuisse suspicabantur, superiore proxima nocte arma ceperunt, magnaque, & deploranda seditio inter ambas partes versata est: nam impetus factus est in eam

„cohortem, quam Admiralio præsidii caus-  
„sa præ foribus ipsius attribueram: qua co-  
„horte perrupta, interfectus est Admiralius  
„cum aliquot Nobilibus, multisque aliis in  
„hujus urbis locis alii complures trucidati  
„sunt, tantaque fuit rabies, adeoque ef-  
„frænis, ut præcaveri, atque impediri, ut  
„res postulare videbatur, non potuerit,  
„cum mihi satis fuerit negotii in custodibus  
„meis, & cohortibus ad hujus arcis Lupa-  
„ræ tutelam, & meum, fratrumque meo-  
„rum præsidium adhibendis, ut postea per  
„universam Urbem, seditionem illam com-  
„pescerem, quæ jam Dei benignitate re-  
„pressa, & restincta est: orta primum ex  
„inimicitiiis, quæ inter Guisii, & Admiralii  
„familias intercedebant: ex quibus cum  
„antea semper prævidissem incommodum  
„aliquod nasciturum, omnem operam, stu-  
„diumque in illis reconciliandis collocave-  
„ram, ut patet omnibus; neque enim hoc  
„facto edictum nostrum pacificatorium in-  
„firmatum est, quin potius volo, ut post-  
„hac pari severitate, atque diligentia, quam  
„antea observetur, hancque meam volun-  
„tatem, ac mandatum in omnes regni mei  
„provincias perferri, ac promulgari jussi,  
„& quoniam periculum est, ne propter il-  
„lud facinus cives mei tumultuentur, at-  
„que alii in alios arma capiant, neve ma-  
„gnæ per regni nostri oppida cædes, ac  
„trucidationes fiant, quod magno cum ani-  
„mi

„mi nostri dolore accideret, dabis operam,  
 „ut passim per universam provinciam, ac  
 „præfecturam tuam lege promulgata san-  
 „ctum sit, ut omnes se pacate, & quiete  
 „in suis domiciliis contineant, neve quis al-  
 „teri injuriam faciat, suppliciumque capi-  
 „tis de iis, qui huic legi immorigeros se  
 „præbebunt, sumatur: quem in finem edi-  
 „ctum nostrum pacificatorium diligenter  
 „etiam, atque etiam observandum curabis.  
 „Quod si qui huic nostro mandato non pa-  
 „ruerint, seseque ad arma compararint,  
 „copias quam maxime multas poteris, co-  
 „ges, quibus in illos irrues, simul etiam  
 „capitaneos urbium, atque arcium, quæ in  
 „tua præfectura sunt, monebis, ut earum  
 „tutelæ, atque custodiæ invigilent, vi-  
 „deantque, quomodo nihil inde incommo-  
 „di oriatur, meque quam diligentissime  
 „certiorem facies de studio, & diligentia,  
 „quam in his rebus adhibueris, necnon de  
 „totius tuæ præfecturæ statu. Qua de  
 „caussa Deum oro, ut te suo sancto præsi-  
 „dio tueatur. Lutetiæ vigesima quarta  
 „Augusti anno millesimo quingentesimo se-  
 „ptuagesimo secundo.

Postea Author alias ejusdem Regis li-  
 teras exhibet ad Magistratus civitatis Bi-  
 turigum ejusdem argumenti.

„Dilecti, & fideles, non dubitamus, per-  
 „latum jam ad vos esse nuntium de  
 „fedi-

„seditioe illa, quæ nuper maximo nostro  
„cum dolore in hac Parisiorum urbe orta  
„est, in qua Cognatus meus Admiralius, hu-  
„jusque nonnulli amici interfecti sunt, at-  
„que in aliis ejusdem urbis locis non pau-  
„ci internecone mandati fuere. Hoc au-  
„tem nuntio periculum esse videmus, ne  
„pax, & publica tranquillitas, quæ hacte-  
„nus post edictum pacificatorium in urbe  
„nostra Biturigum locum obtinuit, convel-  
„latur, si maturum non adhibeatur reme-  
„dium. Hanc ob causam has literas, &  
„mandata nostra ad vos perferri jussimus,  
„quibus vobis maxime præceptum volu-  
„mus, ut unusquisque vestrum pro sua vi-  
„rili, & publici muneris functione videat,  
„nequis inter cives oriatur tumultus, neve  
„qua patretur cædes: quarum rerum ini-  
„tium duci posset ab iis, qui prætextu vio-  
„latæ, & abruptæ pacis (quamquam in il-  
„lo Parisiensi facto nihil, quod hoc oleat,  
„est) inimicitias suas persequi, animumque  
„explere, ac satiare conarentur: quæ res  
„mirum in dolorem, molestiamque incre-  
„dibilem nos conjicerent. Quam ob rem  
„vestræ erunt partes lege Biturigibus,  
„ejusque ditionis omnibus in locis promui-  
„gata, edicere, ut omnes domi pacifice,  
„& quiete se contineant, nec arma ca-  
„pian, aut alii alios offendant, supplicio  
„capitis in eos, qui non paruerint, consti-  
„tuto, quo edictum nostrum pacificatorium  
„sum-

„summa cura, ac diligentia observetur.  
 „Quod si quis secus fecerit, & huic nostro  
 „mandato non paruerit, severe in eum ani-  
 „madvertatur, pœnasque nostris constitu-  
 „tionibus indictas det. Ceterum de urbe  
 „nostra sic solliciti estote, ut inde nihil no-  
 „bis nocuum accidat: quibus rebus omni-  
 „bus tantum studium, diligentiam, ope-  
 „ramque navabitis, quantam vestra erga  
 „me fidelitas, atque observantia postulat.  
 „Datæ Lutetiæ Parisiorum vigesima septi-  
 „ma Augusti anno millesimo quingentesi-  
 „mo septuagesimo secundo. „ Huic epistolæ  
 a latere subscriptus legebatur *Carolus IX.*  
 in imo autem Paginæ *De Novavilla.*

Recitata hac Caroli IX. epistola sequun-  
 tur literæ Regii apud Helvetios quæstoris,  
 jussu Regis ad Confœderatos, quos *Can-*  
*tones* vocant, scriptæ, quarum idem, quod  
 literarum Superiorum argumentum est.

„Magnifici Domini, Dominus Fontanus  
 „Legatus Regis summi amici, ac vo-  
 „bis confœderati, egoque Regis ejusdem in  
 „hac Helvetiorum regione quæstor, man-  
 „datum ab ipsius Majestate accepimus, ut  
 „vobis summis, & certissimis ejus amicis  
 „exponamus infortunium, quod Lutetiæ  
 „superioribus diebus accidit, dum ibi cum  
 „aula, & aulico comitatu esset, ex quo  
 „major animi dolor eum ideo invasit, quod  
 „id munus hoc præsertim tempore expe-  
 „ctan-



„ctandum, ac metuendum erat. Quod sic  
„habetote. Die vigesima secunda Augusti  
„cum Dominus Admiralius ex arce Lupara  
„egressus esset, globo bombardario petitus,  
„& in utraque manu vulneratus est, cuius  
„rei regia Majestas certior facta de inve-  
„stigando tanti sceleris, capiendo punien-  
„doque authore mandatum dedit. Quod  
„cum facere Magistratus instituisset, atque  
„ædes, unde Admiralius globo petitus fue-  
„rat, inhabitantes jam in custodiam publi-  
„cam conjecisset: ecce ii, qui (ut facile  
„est colligere) prioris mali authores erant,  
„obviam necessariæ justificationi euntes,  
„hancque antevertentes, crimen novum  
„præterito addiderunt, atque ea nocte, qua  
„vigesima tertia ejusdem mensis clauditur,  
„& vigesima quarta oritur, copias convo-  
„carunt, ad seditionem hujus urbis cives  
„excitarunt, maximoque cum impetu fu-  
„riosi in domum, in qua erat Admiralis, ir-  
„ruerunt, cohortemque, quam Rex præ-  
„sidii causa præ foribus statione collocari  
„jusserat, perruperunt: ingressi autem Ad-  
„miralium, & quosdam, qui cum illo erant  
„Nobiles, interficiunt, idem non paucis in  
„ejusdem urbis locis factum est; tanta ve-  
„ro cum celeritate rabies, ac furor ille  
„grassatus est, ut Rex tumultum illum se-  
„dare cupiens, non parum negotii habue-  
„rit in arce sua Lupara tuenda, præsidio-  
„que firmanda, in qua tum unacum Regi-  
„na

„na Matre, & conjuge, necnon Illustrissi-  
„mis suis Fratribus, & Navarrorum Rege,  
„aliisque Principibus sese continebat. Hinc  
„Magnifici Domini colligere potestis, quan-  
„tam ea res animi perturbationem illi juveni,  
„& magnamino Regi attulerit, qui, ex quo  
„regnum adeptus est, spinas tantum loco  
„sceptri cum tractasset, atque tot civilibus  
„bellis, quæ in ipsius regno orta sunt, im-  
„plicitus fuisset, existimabat optimo, pru-  
„dentique Matris, fratrumque suorum ad-  
„hibito consilio, & auxilio pacem, & tran-  
„quillitatem regno recuperasse stabilem, &  
„se deinceps regno sibi, & subditis felicio-  
„ri fruiturum, nimirum post sublatas (ut  
„credebat) omnes, & dissensionis, & su-  
„spicionis inter subditos causas, cum per  
„edictum pacificatorium, tum per Regis  
„Navarreni conjugium cum sorore quinto  
„ante die celebratum, necnon per aliud  
„conjugium illustrissimi Principis Condæi  
„cum Ducissa Niverniensi: præterea nullum  
„eorum prætermiserat, quæ ad otium, sum-  
„mamque pacem facere arbitrabatur, ma-  
„ximeque ut Amiralius tutus ab omni pe-  
„riculo viveret, regia Majestas in eo toto  
„fuit, ut illi præcipuos, & capitales ini-  
„micos pacatos, ac inimicitias vacuos red-  
„deret: cujus rei haud cum difficultate lo-  
„cupletissimos testes invenire est. Itaque  
„Deus non dubius regis, & animi candori-  
„s, & consilii testis benignitate propria  
„mo-

„motus, voluit, ut post horas aliquot plebs  
„illa, cum satis furori exercendo operam  
„dedisset, domum se reciperet, nec ipsius  
„Majestati quidquam antiquius, & majori  
„curæ fuit, quam operam sedulo dare, ne  
„ipsius edictum pacificatorium antiquare-  
„tur, neve pax, & concordia, qua utrius-  
„que Religionis subditi tunc fruebantur,  
„violaretur, quam ob causam ad omnes  
„provinciarum præfectos nulla mora inter-  
„jecta nuntium misit, quo tanta cura, &  
„diligentia, quanta in ejus edictis est in-  
„dicta, uterentur, simulque magna cum  
„animi affectione imperavit, ut huic rei  
„omnem industriam afferrent, ita, ut om-  
„nes facile perspicere possint, tale infortu-  
„nium accidisse propter privatas injurias,  
„non autem edictum pacificatorium infir-  
„mandi gratia, quod regia Majestas nullo  
„modo fieri patietur, qua de re Magnifici  
„Domini, ut vos certiores faceremus, man-  
„datum dedit: item ut vobis maxima peri-  
„cula, quæ Gallico regno, & vicinis im-  
„minere videntur, exponeremus, non ob  
„illius tumultus causam; sperat enim divi-  
„no adjutus auxilio se omnino posse illum  
„reprimere, & regnum cum pace, ac tran-  
„quillitate, quæ post ultimum pacificato-  
„rium edictum maxime viguit, conservare.  
„Verum quoniam ingentes variis in regio-  
„nibus conscribuntur, & colliguntur exer-  
„citus, maxime vero in inferiori Germania,  
„nec

„nec adhuc constat, utri velit Deus victo-  
„riam tribuere, nec in quem finem victor  
„jam collectas, & conscriptas copias ad-  
„ducet, & qua in regione his postea uti  
„volet: hanc inquam ob causam regia  
„Majestas vos oratos velit, ut pergentes in  
„amicitia, & concordia, quæ hæcenus re-  
„gno Gallix vobiscum amicis, & fœdere  
„junctis Cantonibus intercessit, velitis,  
„quantum res postulabit pro vestra virili  
„ejus regno invigilare, tantam curam, &  
„diligentiam adhibentes, quantam se pro  
„vobis, vestroque felici statu, re ita postu-  
„lante, adhibiturum pollicetur. Denique  
„in pace, tranquillitate, & concordia ve-  
„stræ Helveticæ gentis conservanda utami-  
„ni vestra magna, & singulari prudentia,  
„quam constat, unicam esse causam, non  
„modo, ut possitis amicis auxilia mittere,  
„verum etiam potentiam illam, atque au-  
„toritatem retinere, quæ vicinis licet ma-  
„gni sint nominis, terrori, ac formidini  
„esse possit. Porro regia Majestas, quoties  
„res postulabit, omnem benevolentiam,  
„studium, ac amicitiam talem pollicetur,  
„qualem ab optimo, & certissimo gentis  
„vestræ nunc, & in futurum amico optare,  
„& expectare potestis.

Demum ab eodem Scriptore in præ-  
fato suo libello profertur Declaratio a Rege  
facta causarum, & occasionum mortis  
Admi-

Admiralii, atque aliorum quorundam eodem cum ipso crimine implicitorum, ejusque a partibus stantium, quæ Lutetiæ vigesima quarta Augusti anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo accidit. Publicis typis hæc declaratio prodiit Lutetiæ apud Joannem Dallierum librarium habitantem in ponte S. Michaelis, ad candidæ rosæ insigne, cum Regis privilegio, item Lugduni apud Michaellem Jovem.

*Ex Regis mandato.*

„Regia Majestas cupiens ab omnibus pro-  
 „ceribus, nobilibus, aliisque, qui  
 „sunt sub ejus ditione cognosci causam, &  
 „occasionem necis Admiralii, & qui cum  
 „illo sentiebant, commissæ nuper Lutetiæ  
 „vigesima quarta die hujus Mensis Augusti,  
 „ne falsæ, & fucatæ causæ illius facino-  
 „ris in medium prodeant, & locum obti-  
 „neant. Declarat Regia Majestas, quod  
 „id omne, quod hac in parte accidit, ex-  
 „presso suo mandato, atque imperio factum  
 „sit, non propter ullam Religionis causam,  
 „neque ut edictum ipsius pacificatorium  
 „abrogetur, quod non secus, ac antea post-  
 „hac observari, vimque habere ut semper  
 „voluit, sic & nunc vult: sed ut cuidam  
 „conspirationi, quæ facta est ab ipso Admi-  
 „ralio, atque ab iis, qui ab ejus stabant  
 „partibus, in Regem, Regisque statum,  
 „Reginam Matrem, Regis Fratres, Regem  
 „Navar-

„Navarrenum, principes, & Dominos, qui  
„tunc in aula regia erant; obviam iret,  
„hancque anteverteret, quapropter hac de-  
„claratione, atque hoc præscripto Regia  
„Majestas omnibus nobiles, aliisque cu-  
„jusvis ordinis hominibus, qui Religionis,  
„quam reformatam vocant, cultores sunt,  
„palam fieri vult, se velle, sibi que cordi  
„esse, ut tuto, & libere manere in ipsorum  
„domiciliis una cum conjugibus, liberis,  
„& familiis sub Regis tutela, præsidio, at-  
„que auctoritate possint, sicut antea iisdem  
„beneficio, ac edicti pacificatorii præscri-  
„pto licuit, magna que cum animi inten-  
„tione omnibus præfectis provinciarum, ac  
„gubernatoribus civitatum, omnium que or-  
„dinum reliquis justitiæ dispensatoribus,  
„ne quid moliantur, neve quid moliri pa-  
„tiantur in caput, fortunas, uxores, libe-  
„ros, familiam que eorum, qui religionem,  
„ut vocant, reformatam sectantur, pœna-  
„que capitis iis, qui huic mandato immo-  
„rigos se præbuerint, indicatur, nec non  
„de iis sumatur, ut autem obviam eat  
„turbis, scandalis, suspicionibus, & diffi-  
„dentiis, quæ nasci possent ex concioni-  
„bus, conventibus que in nobilium ædibus,  
„aliisve locis, ut per edictum nostrum pa-  
„cificatorium licet, haberentur: Regia  
„Majestas severissime interdictum vult om-  
„nibus nobiles, aliisque supradictæ Re-  
„ligionis professoribus, ne ulla de causa,  
„donec

„donec tranquillitatem regno restituerit,  
„aliterque præscripserit, conventus habeant.  
„Quod si secus fecerint, inobedientiæ pœ-  
„na, corpore, & fortunis in fiscum addu-  
„ctis plectantur, præterea simili indicta pœ-  
„na prohibitum vult omnibus, qui religio-  
„nis ergo captivos detinent, ne ab illis re-  
„demptionis pretium exigant: sed nulla  
„interjecta mora præfectos provinciarum,  
„& proreges de nomine, & conditione cap-  
„tivorum certiores faciant, quos regia Ma-  
„jestas solvi, & libertate donari vult: nisi  
„tamen religionis ergo Duces, aut capi-  
„tanei fuerint, eoque nomine industriæ,  
„consiliove in rebus bellicis gerendis non  
„pepercerint, aut supradictæ conspiratio-  
„nis participes fuerint, de quibus statim  
„moneri vult, quo quid de his fieri sibi  
„placeat, mandet. Denique statuit, ne  
„posthac adeo quis audax sit ullum com-  
„prehendere iis de causis, quas supra com-  
„memoravimus, nisi expresso a Regia Ma-  
„jestate mandato accepto, ipsiusve vica-  
„riis imperantibus: neque per agros, rusti-  
„casque domus grassetur, prædamve in e-  
„quos, equas, boves, pecora, fortunas,  
„proventus, farra, neque in rem ullam  
„aliam exerceat, agricolas factis, nequi-  
„dem verbo vexet: sed rusticis operibus  
„incumbentes, agrorumque culturæ invi-  
„gilantes pace, & quiete frui sinat, pœna  
„supradicta denunciata. Data Lutetiæ vi-  
„gesima

„gesima octava die Augusti anno millesimo  
„quingentesimo septuagesimo secundo.,,

Sequuntur literæ a Rege scriptæ ad  
Magistratum Bituricensem, quarum idem  
cum superiori declaratione argumentum.

„Dilecti, & fideles, cum animadverte-  
„rem, periculum esse, ne quidam no-  
„biles, atque alii ex nostris subditis, qui  
„religionem, quam reformatam vocant,  
„profiteantur, propter Amiralii, hujusque  
„communionum cædem tumultus excitent,  
„armisque se accingant, otiumque & pa-  
„cem, quam in nostro regno semper anti-  
„quissimam habuimus, evertant, propterea  
„quod fictæ, & commentitiæ quædam il-  
„lius cædis causæ divulgentur, declara-  
„tionem hanc ad vos mittendam statuimus,  
„quam primo quoque tempore per tibici-  
„nes, & libellos publice affixos pronun-  
„tiandam, ac divulgandam curabitis, id-  
„que per omnia ditionis vestræ loca, in  
„quibus ejusmodi proclamationes, & pro-  
„mulgationes fieri solent. Porro licet fem-  
„per in animo habuerimus edictum nostrum  
„pacificatorium observare: cum tamen  
„animadvertimus, periculum esse, ne pro-  
„pter illam Amiralii, & eorum, qui cum  
„illo erant, cædem, tumultus, & sedi-  
„tiones inter subditos nostros exoriantur,  
„mandamus, ac vobis præscribimus, ut  
„privatim præcipuis nobilibus, atque iis,  
„*Hist. Eccles. Tom. XLIX.* b „qui



„qui inter illius Religionis cultores primas  
„obtinent, & sub vestra ditione nobis pa-  
„rent, conventibus, & concionibus, quæ  
„in ipsorum domiciliis, alibive haberi pos-  
„sent, interdicatis, idque guo omnis ti-  
„mor, & suspicio, quæ inde ortum habere  
„posset, extinquatur. Qua de re eos etiam,  
„qui intra urbium mænia vivunt, certio-  
„res, ut faciendum judicabitis, reddatis,  
„ut scilicet hac in parte animi nostri sen-  
„tentiam assequantur, nobisque pareant:  
„& in suas se quisque ædes recipiat, in  
„quibus, ut per edictum nostrum pacifica-  
„torium, licet pacifici vitam degant: quam  
„obrem sub præsidio, & tutela nostra con-  
„servabuntur. Quod si secus jam a vobis  
„moniti fecerint, in eos & irruetis, & ir-  
„ruendum curabitis omnibus cum copiis  
„tum capitalium rerum præfecti, hujus-  
„que satellitum, tum etiam aliis, quas  
„sonitu campanæ aliove modo signo dato  
„cogere poteritis, donec in frustula ipso-  
„rum corpora tanquam regii nostri sceptri  
„inimicorum, secta sint. Ceterum licet  
„mandatum verbo tenus factum per eos,  
„quos tum ad vos, tum in reliquas nostri  
„regni provincias misimus, acceperitis,  
„Quod tunc datum fuit, cum justam de  
„quodam sinistro eventu occasionem timo-  
„ris haberemus, nimirum nobis palam  
„facto, quod in nos inibat Amiralius, con-  
„silio: id, qualecunque sit, revocavimus,  
„& re-

„& revocamus, nec ut quidquam exitum  
 „fortiatur, & illi mandato pareatis volu-  
 „mus, sic enim nobis placet. Datæ Lu-  
 „tertiæ trigesima die Augusti anno millesi-  
 „mo quingentesimo septuagesimo secundo.  
 „Sic signatæ erant *Corolus*, & infra *de No-*  
 „*vavilla*, in ipso judiciali foro lectæ.

Hæc epistola unacum priori declara-  
 tione ad Magistratum Bituricensem trans-  
 missa fuerat: postea Auctor alias refert epi-  
 stolas cum hac inscriptione.

*Regis literæ & Schedæ ad comitem de*  
*Charnii Burgundiæ præfectum, quibus, quo-*  
*modo se in sua præfectura gerere debeat, e-*  
*docetur.*

„**R**ex tumultum nuper hic Lutetiæ exci-  
 „tatum considerans, in quo Admira-  
 „lius Castillioneus, & nobiles aliquot, qui  
 „cum ipso erant, internecioni mandati  
 „sunt eam obrem, quod nefarie conspira-  
 „verant in Regiam Majestatem, Reginam  
 „Matrem, Illustrissimos Regis Fratres, Re-  
 „gem Navarrenum, aliosque Principes, &  
 „proceres, qui tunc in aula regia erant,  
 „necnon de regni Gallici statu labefactan-  
 „do consilium inierant: cogitansque acci-  
 „dere posse, ut religionis, quam reforma-  
 „tam vocant, cultores illius tumultus caus-  
 „sam ignorantes, animum ad consilia, &  
 „bellicos apparatus converterent, non se-  
 „cus

„cus ac superioribus bellis fecerunt, con-  
„jurarentque inter se adversus Regiam Ma-  
„jestatem, regnique tranquillitatem, si ma-  
„ture non occurreretur, rei que gestæ veri-  
„tas ab ipso exponeretur, certioresque fie-  
„rent nobiles, alique illius Religionis cul-  
„tores, quomodo res illa se habuerit, nec-  
„non de Regis erga ipsos animo, & con-  
„silio: cogitans præterea utile fore, maxi-  
„meque necessarium, ut provinciis præfecti  
„illas perlustrent. His, inquam, de cau-  
„sis jubet Dominum Comitem de Charnii  
„primum Gallæ ensiferum, & provinciæ  
„Burgundiæ præfectum, civitates, loca-  
„que ejus provinciæ omnia adire, ibique  
„quam commodissime fieri poterit, ratio-  
„nem inire, operamque dare, ut omnes  
„regiæ Majestatis subditi, cujuscunque re-  
„ligionis sint, placide, & quiete se gerant.  
„Quem in finem haud ineptum fuerit, no-  
„biles, aliosque, qui religionem illam pro-  
„fitentur, blando pellicere sermone, eo-  
„que coram omnibus, aut clam facto, ut  
„opus esse factu videbitur ad Regis consi-  
„lium, & utilitatem accomodatissimo, qui-  
„bus veritatem tumultus in hac urbe ex-  
„citati palam faciet: fieri namque posset,  
„ut fucis tinctus, atque ornatus illis ex-  
„positus fuerit, atque his dicet regiam Ma-  
„jestatem animadvertisse, quod prætextu  
„vulneris ab olim Admiralio recepti, qua  
„de re juxta id quod optime institutum,  
„& præ-

„& præscriptum erat supplicium sumi vo-  
„lebat: Amiralii ille, nobilesque cum  
„illo eandem profitentes religionem, qui  
„in hac urbe erant, effectum ejus præ-  
„scripti antevertentes in Regiam Majesta-  
„tem, Reginam Matrem, Illustrissimos Re-  
„gis Fratres, Regem Navarrenum, alios-  
„que principes, & nobiles, qui tunc cum  
„ipsis erant, nec non regni statum, con-  
„juraverant, quemadmodum nonnulli, qui  
„inter illos primas obtinebant unaque con-  
„spiraverant, scelus a se admissum agno-  
„scentes facti sunt. Ut igitur huic perverso,  
„& pernicioso consilio obviam iret Re-  
„gia Majestas, coacta fuit magno cum ani-  
„mi dolore, nulla ratione religionis impel-  
„lente, nec ut edictum pacificatorium a  
„se præscriptum vim ullam pateretur, per-  
„mittere, quod in caput ipsius Amiralii,  
„hujusque aßeclarum vigesima quarta die  
„Augusti accidit. Nihilominus tamen Re-  
„giæ Majestatis mens est, ut, qui supra-  
„dictam religionem profitentur, vivere in  
„libertate, & pace cum uxoribus, liberis,  
„& familiis in suis domiciliis possint sub  
„ipsius præsidio, & tutela, sub qua illos  
„& conservabit, conservandoque curabit,  
„si, ut Regia Majestas optat, morigeros,  
„& mites se præbuerint, quam ob causam  
„vult Comitem de Charnii, offerre, & dare  
„tutelæ libellos forma decenti, & specta-  
„bili conscriptos, quorum pacem esse vult

„authoritatem, ac si in Regia descripti ef-  
„sent: ut videlicet illo quali præsidio tuti,  
„atque integri ab omnibus injuriis, & ve-  
„xationibus conserventur. Ceteris autem  
„Regiæ Majestatis subditis, qui Catholici  
„nominantur, cujuscunque generis, & con-  
„ditionis sint, severe interdicit, ne quam  
„religionis, quam reformatam vocant, cul-  
„toribus, illorumve familiis injuriam in-  
„ferant, dummodo se placide, & modeste  
„in suis sedibus contineant. Quod si qui  
„temeritate, & levitate impulsus hoc nostrum  
„mandatum transgressi fuerint, liberosque  
„illos securitatis infregerint, Regia Maje-  
„stas jubet quam citissime, & severissime  
„de illis tale exemplum edi, ut reliquis  
„sint documento, & magnitudine poenæ  
„alii ab ejusmodi audacia deterreantur.  
„Atque hæc vera, & unica ratio est, qua  
„Regia Majestas uti potest in illius religio-  
„nis cultoribus conservandis, cui sermo-  
„nem suum, & promissum adjungit, quo  
„se bonum & clementem Principem, &  
„horum, atque omnium ad ipsos spectan-  
„tium tutorem, & conservatorem fore pol-  
„licetur, idque si inodeste sub ipsius impe-  
„rio adversus hoc nihil tentantes se con-  
„tineant. Porro quoniam Regia Majestas  
„sæpe compertum habuit, consilia contra  
„suam dignitatem ab illius Religionis cul-  
„toribus in his concionibus, & conventi-  
„bus in ta fuisse, quos hætenus nobilibus  
„in

„in suis feudis, ac domiciliis per edictum  
„pacificatorium habere licuit, idem Comes  
„de Charnii denunciabit illis, Regiam Ma-  
„jestatem cogitasse, nulla re alia Catholi-  
„cos adeo offendi, aut adversus religionis,  
„quam reformatam vocant, cultores com-  
„moveri, quam ejusmodi concionibus, at-  
„que conventibus, quorum continuatio cer-  
„tissimam novarum turbarum materiam  
„præberet, his de causis regiam Majesta-  
„tem optare, ut conciones illæ intermit-  
„tantur, donec super hac re aliter statutum  
„fuerit, debere autem nobiles hac in re  
„voluntati Regiæ obtemperare; quippe quæ  
„maxime ad ipsius consilia, atque instituta  
„accommodata sit, & ad subditos in gra-  
„tiam, & concordiam reducendos, atque  
„dissensiones omnino funditus tollendas.  
„Verum quandoquidem postulatum istud  
„durius fortasse ab initio videri poterit,  
„idem Comes de Charny blandum se in hoc  
„negotio tractando præbebit, illisque ami-  
„ce denunciari curabit, ne qua inde sinistra  
„oriatur suspicio, nam Regiæ Majestatis  
„animus est summa uti sinceritate cum iis,  
„qui sese ad ipsius voluntatem accommo-  
„dabunt. Itaque idem Comes quibus pote-  
„rit argumentis illorum animos ad hoc con-  
„siliū inflectet, confirmans eos parem,  
„atque Catholicos Regis benevolentiam,  
„mansuetudinem, ac benignitatem exper-  
„turos. Sed ut Catholici certi sint, quo-

„modo hac in parte se gerere debeant, &  
„ne sibi non prædictum dicant, idem Co-  
„mes illis significabit, Regem neque un-  
„quam antehac in animo habuisse, neque  
„in præsentia propositum illi esse Religio-  
„nis, quam reformatam vocant, cultores  
„ullis incommodis injuriave afficere, modo  
„placide, & modeste illi obsequium præ-  
„stent, monebitque Catholicos, quod si  
„quam dictæ religionis cultoribus modeste,  
„ac submisse se gerentibus injuriam attu-  
„lerint, aut adversus securitatis libellos,  
„vel a Majestate Regia, vel ab eodem co-  
„mite concessos quicquam tentarint, con-  
„fessim in illos tanquam in contumaces  
„animadverterent, idque nulla spe veniæ  
„proposita. Hanc denuntiationem idem  
„Comes claris verbis dilucidisque illis pro-  
„ponet, severissimeque hoc nostrum man-  
„datum curabit: posteaquam vero idem  
„Comes benigna oratione, & blandis arti-  
„bus, quibus Rex uti mavult, usus fue-  
„rit, ut ejus subditos in pace, atque tran-  
„quillitate retineat, & securitatis inter ipsos  
„rationem aliquam inveniat: qui se regiæ  
„Majestati mortiferos hac in re præbuerint,  
„ab ipsa conservabuntur, & qua ratione  
„mitius fieri poterit, tractabuntur. Sin-  
„autem ex illius religionis cultoribus qui-  
„dam reperiantur, qui his admonitionibus  
„contemptis pertinaces, & rebelles regiæ  
„Majestati se præbuerint, scilicet milites

„con-

„convocando, consilia ineundo, factiones-  
 „que in ipsam agitando: Comes idem de  
 „Charny in illos irruet, atque illos dila-  
 „niabit, priusquam se munire, atque una  
 „convenire potuerint. Quem in finem quam  
 „multas maxime poterit copias coget, cum  
 „ex cataphractorum numero, aliisque or-  
 „dinariis, & extraordinariis, tum ex alio  
 „equestrium, & peditum militum genere,  
 „qui in præfidiis sunt collocati, civibus-  
 „que Catholicis, & incolis oppidorum, quæ  
 „in ipsa Burgundiæ præfectura continen-  
 „tur, quibus coactis obsidione cinget eos,  
 „qui in aliquas ejusdem præfecturæ civi-  
 „tates se receperint, & munierint, rem-  
 „que ita geret, ut regia Majestas victo-  
 „riam obtineat, ejusque authoritas non  
 „imminuatur. Datum Lutetiæ trigesima  
 „die Augusti anno millesimo quingentesi-  
 „mo septuagesimo secundo.,,

Demum Author alias Regis literas pro-  
 fert, quibus persuasum reddere nititur,  
 quod Rex tumultuum Auctores plecti jus-  
 ferit: his autem literis sequentem præfixit  
 inscriptionem.

*Literæ a Rege ad Dominum de la Guiche  
 scriptæ, quibus palam fit, Regi in animo  
 esse, animadvertere in omnes, qui aliquo mo-  
 do rei bellicæ Superioribus turbis præfuerunt.*

„Domine de la Guiche, perlatum ad me  
 „est Matisconi captivos teneri tres  
 b 5 „fra-



„fratres Dagonellos, Porcerium, caupo-  
 „nem ad insigne fortunæ Moissonerium,  
 „Crispinum, & capitaneum Grisium, qui  
 „inter Burgundos factiosi præcipui habentur,  
 „& superioribus bellis in Urbe Matisconensi occupanda Duces, ac signiferos  
 „se præbuerunt, & in causa sunt, quod  
 „regio illa tota vastata fuit. Quoniam autem  
 „intellexi, spem illis libertatis propositam esse redemptionis pretio soluto, quod  
 „nullo modo fieri velim: mando tibi, atque  
 „impero, ut eos in certa, ac fida custodia  
 „retineas, ne qua evasionis ansa illis pateat,  
 „spero namque fore, ut multa per eos scruter,  
 „quæ ad meam auctoritatem, & dignitatem tuendam pertinent.  
 „Si qui sint alii Matisconi captivi novæ religionis cultores,  
 „dato operam, ut in custodia detineantur,  
 „neque permitto eos redemptione soluta missos fieri;  
 „non enim inter meos subditos pretia pro captivis  
 „redimendis locum habere patiar. Deum oro,  
 „Dominum de la Guiche ut te suo sancto præsidio tueatur.  
 „data Lutetiæ decima quarta Septembris anno millesimo  
 „quingentesimo septuagesimo secundo.

Sequuntur postea literæ a Rege ad Dominum de Gordes Delphinatum provinciæ præfectum scriptæ, quibus eum certiore facit, se nullum præstantius ac certius examen eorum, quæ ab ipso acta sunt, require-

quirere, quam quod a religionis cultoribus in illum accusationes intendantur, & querelæ instituantur, quibus respondendi curam omnem deponere debeat.

„Domine de Gordes, ex tuis literis primo hujus mensis die scriptis cognovi, quomodo in administratione tuæ præfecturæ te gesseris, & quod certior sis factus de Amiralii, ejusque assessorum cæde, neque credo, te ex eo tempore quicquam prætermisisse, quod ad ea loca unde malum aliquod nasci poterat, præsidii firmanda, atque sub tua potestate retinenda pertinere judicasti. Quo vero major tua sit autoritas, mandavi, ut cohortes Corsicæ, quas in Provinciam miseram, rursus in Delphinatum, & præfecturam tuam reducantur: qua de re ad cognatum meum Comitem de Tendes scripsi, qui sine dubio eas ad te quamprimum mittet, quandoquidem earum jam in provincia nullus est usus, mature etiam te de illarum ad te itinere monebit, ut ad comitatum, ceterasque res necessarias comparandas, & ad oppida, in quibus præsidii causa disponentur designanda, satis temporis tibi suppetat. Quæ ad me de militum stipendio, qui in Delphinatu perpetui præsidii causa esse solent, illis ex anni Superioris rationibus debito scripsisti, legi: videboque, quisnam sit  
„ærarium

„ærarum mei status, & operam dabo, ut  
„illis consulatur. Quod ad pontis Gratia-  
„nopolitani refectionem attinet, necesse est  
„oppidanos una perspicere, quid ad id opus  
„pro sua parte præstare possint: ubi me cer-  
„tiores fecerint, efficiam, ut ipsis quoque  
„consulatur. Porro quod de cohortibus  
„Baroni Adressio attributis ascripsisti, cum  
„jam ea causa; propter quam eas conscri-  
„pseram, sublata sit, mandavi ei, ut eas  
„sacramento solutas missas faciat: itaque  
„quod de stipendio eo nomine procurando  
„ad me scribis, jam supervacaneum est,  
„neque minus otiosum est attingere ea,  
„quæ responderas ad capita quarundam  
„accusationum, quas in te religionis cul-  
„tores intenderant: cum mihi, quomodo  
„te in tua præfectura geras, satis superque  
„notum sit neque ullum tuæ fidelitatis,  
„ac integritatis examen, aut testimonium  
„certius expeto, quam illorum adversus  
„te criminationes, quamobrem, quantum  
„ad illam rem attinet, securum te esse ju-  
„beo. Ceterum superioribus diebus ad te  
„misi exemplar declarationis factæ a me  
„de cæde Amiralii, hujusque asseclarum,  
„Rescripsi, me velle illis meis obsequium  
„præstari, cædiumque & rapinarum, ac  
„depopulationum finem fieri, multis tamen  
„ex partibus querelæ ad me deferuntur ta-  
„lia facinora non intermittere: quæ res mihi  
„non vulgarem affert tristitiam. Quapro-  
„pter

„pter iterum ad te ea de re scribere volui,  
 „ut in præfectura tua operam des, nequid  
 „posthac tale admittatur; neve alii in alios  
 „hostiliter grassentur, & ut illi nostræ de-  
 „clarationi diligentissime pareatur, pœnis  
 „in eos, qui non paruerint, ejusmodi con-  
 „stitutis, ut reliqui exemplo deterreantur:  
 „mihi namque in animo est, eos pro suis  
 „meritis coercere, atque etiam in eos ju-  
 „dices, qui hac in re negligentes, aut cæ-  
 „cos se præbuerint, dissimulationeque usi  
 „fuerint, animadvertere. Ceterum literæ  
 „tuæ quinto hujus mensis die datæ mihi  
 „redditæ sunt, quibus scribis, nullum tibi  
 „a me verbotenus factum mandatum alla-  
 „tum esse, sed eas tantum literas, quas  
 „vigesima secunda, vigesima quarta, & vi-  
 „gesima octava die mensis præteriti ad te  
 „dederam: qua de re securum te esse ju-  
 „beo: nam illa mandata tantum ad quos-  
 „dam, qui tunc temporis apud me erant,  
 „pertinebant. Deum autem oro, Domi-  
 „num de Gordes ut te suo sancto præsidio  
 „tueatur. Lutetiæ decima quarta Septem-  
 „bris anno millesimo quingentesimo septua-  
 „gesimo secundo.

*Literæ a Rege ad Ducem Guisium Cam-  
 panicæ, & Briæ præfectum scriptæ.*

„Cognate, etsi ex superioribus meis lite-  
 „ris cognoscere potuisti, quantopere  
 „cupiam omnes meos subditos cum ex no-  
 „bilibus,

„bilibus, tum ex aliis, qui novam profi-  
„tentur religionem, & modeste sese in præ-  
„fecturæ tuæ finibus continent, per te con-  
„servari sub præsidio, & autoritate mea  
„incolumes, neque ullam ipsis aut ipsorum  
„fortunis inferri injuriam: tamen certior  
„factus sum in multis regni mei locis, la-  
„trocinia, direptiones, ac depopulationes  
„fieri in eorum tum rusticis, tum urbanis  
„domiciliis, qui novam religionem sectan-  
„tur, idque prætextu illius tumultus, qui  
„vigesima quarta die Augusti Lutetiæ con-  
„tigit, quo nuntio accepto maxima & gra-  
„vissima sui molestia affectus. quapropter  
„Cognate, quia cupis perspectum mihi  
„esse tuum erga me studium, & observan-  
„tiam, te oratum velim, ut ejus rei acer-  
„rimam curam suscipias, & sicut superio-  
„ribus diebus tibi & dixi, & scribendum  
„curavi, tuearis religionis illius cultores,  
„qui in tua præfectura placide, & quiete  
„sese continent, neque patiaris ullam ipsis,  
„vel ipsorum fortunis injuriam fieri, non  
„magis, quam ceteris meis subditis Catho-  
„licis. Quodsi quædam illis injuria adver-  
„sus voluntatem meam, quam antea tibi  
„exposui, & nunc tibi expono, allata fue-  
„rit: volo ac jubeo, ut in criminis reos  
„animadvertas, talesque de illis pœnas  
„sumas, ut ceteri a simili audacia deter-  
„reantur; cupio enim ubique mihi morem  
„geri, atque diligentius, quam hæctenus  
„meis

„meis mandatis obtemperatum, ac tibi affir-  
 „mo gratius mihi abs te nuntium afferri  
 „non posse, quam si cognovero sumptum  
 „per te supplicium de iis, qui meis man-  
 „datis non paruerint. Deum oro, Cogna-  
 „te, ut te suo sancto præsidio tueatur. Lu-  
 „tetiæ decima octava Septembris anno mil-  
 „lesimo quingentesimo septuagesimo se-  
 „cundo.

Postea Scriptor libellum recitat, ex cu-  
 jus argumento comprobare nititur, quod  
 Rex sua agendi ratione sese patratæ cædis  
 Auctorem declarat: inscriptus autem legi-  
 tur hic libellus sequenti modo:

*Libellus a Rege ad omnes provinciarum  
 Præfectos missus in eum finem, ut omnes,  
 qui religionem professi sunt, publicis mune-  
 ribus ad justitiam, sive quæsturam, aut ra-  
 tiones pertinentibus amplius non fungantur,  
 iisque priventur, licet religionem abjurare  
 velint. Exceptis tamen iis, quorum fun-  
 ctiones ex infimo genere sunt, modo velint  
 religionem juxta hac de repræscriptum, &  
 missum libellum abjurare.*

„Rex cogitans eos, qui novam sectantur  
 „opinionem, & Magistratus gerunt,  
 „quæsturasve, & tribunatus ærarii sui ex-  
 „ercent, suspectos, atque odiosos fore suis  
 „subditis Catholicis, si functiones illas suas  
 „publicas post motus recenter excitatos ex-  
 „erceant:

„erçant: quæ res plebi novam tumultuan-  
„di occasionem afferre, novam autem opi-  
„nionem sectantibus periculum creare pos-  
„set, licet novam illam opinionem abjura-  
„rent, sanctamque fidem, & religionem  
„Catholicam, & Romanam amplecteren-  
„tur. Majestas ergo regia cupiens incom-  
„modis, novisque motibus occurrere, qui  
„propterea exoriri possent, optimum factu  
„judicavit, ut Magistratus illi, & tribuni  
„atque quæstores suis se muneribus ab-  
„dicent, donec aliquid certius hac de re  
„statuat. Interea tamen ii, quibus illæ  
„præfecturæ mandatæ fuerant, dum volun-  
„tati regis obtemperabunt, suisque in do-  
„miciliis placide sese continebunt, neque  
„quicquam adversus ipsius dignitatem mo-  
„lientur, honoraria, & stipendia sua recipient:  
„qui vero præfecturas illas suas cuidam Ca-  
„tholico cedere volent, si Majestatem regiam  
„convenient, honorifice ab illa excipian-  
„tur. Quantum autem ad infimi generis  
„functiones attinet, quæ odiosæ esse non  
„solent, veluti Notariorum, apparitorum,  
„ceterorumque, quorum non magna est  
„auctoritas, neque tantopere suspecti, &  
„odiosi populo sunt: Majestas regia statuit,  
„ut qui ex eorum numero volent abjurare  
„novam illam opinionem, fidemque, & re-  
„ligionem Catholicam, Apostolicam, &  
„Romanam amplecti, colere, & profiteri,  
„libere suis illis muneribus fungantur. Alii  
„vero,

„vero, qui in nova illa opinione persevera-  
„bunt, functionibus se suis abdicent, quoad  
„aliter per regiam Majestatem decretum  
„fuerit. Quod idcirco statuitur, ut ea fu-  
„giant pericula, in quæ incidere possent,  
„si functiones illas exercerent, propter su-  
„spiciones, & odia Catholicorum adver-  
„sus eos, qui novam opinionem sectantur.  
„Majestas tamen regia secum reputans ma-  
„ximam partem eorum, qui tales infimas  
„exercent functiones, non posse se, & fami-  
„liam alere, copiam illis facit cedendi, &  
„relinquendi functiones illas suas viris Ca-  
„tholicis capacibus, & ad eas idoneis:  
„quod si eam ob rem regiam Majestatem  
„convenient, quæstores, & regis nationi-  
„bus præfectos cum ipsis liberaliter, & be-  
„nigne agere jubebit. Hoc suum decre-  
„tum, voluntatem, atque Magistratum  
„abrogationem jubet regia Majestas denun-  
„tari functiones illas exercentibus, & no-  
„væ opinionis sectatoribus, non modo a sum-  
„mis præfectis, & rectoribus provinciarum,  
„verum etiam a Parlamentorum Senatoribus,  
„ab iis, qui rationibus præfunt, reliquis-  
„que omnibus publicum aliquod munus ge-  
„rentibus, ac singulos illorum functiones  
„publicas exercentium privatim evocatos  
„admoneri, ut hac in re se ad Regis vo-  
„luntatem accommodent. Quod si quis eo-  
„rum, qui summas exercent præfecturas,  
„redire vellet in sinum Ecclesiæ Apostoli-



„cæ Romanæ, tum admonebitur gratiffi-  
„mum illud fore Majestati regię, quæ ni-  
„hil antiquius in optatis habet, futurum-  
„que, ut hac ratione Rex illis majorem  
„habeat fidem, eorumque opera, prout vi-  
„tam, ac mores instituerint, in posterum  
„utatur: velle tamen interea, ut suis mu-  
„neribus, ac præfecturis se abdicent. Por-  
„ro quoniam multis in locis bona eorum,  
„qui novam sectantur opinionem, sive ab-  
„essent, sive latitarent, aut in sedibus, ac  
„domiciliis suis se continerent, eis aucto-  
„ritatē regia fuere adempta, licet Rex edi-  
„cto suo vigesima octava die Augusti dato  
„statuerit, ut opinionem illam novam se-  
„ctantes suis bonis, & fortunis libere frue-  
„rentur: ne tamen ansa dubitandi pateat,  
„iterum statuit, ut qui ex illis neque ulti-  
„mæ conspirationis participes fuerint, ne-  
„que post edictum ultimum pacificatorium,  
„ullum adversus regiam Majestatem confi-  
„siliū inierint, in sua domicilia, bona-  
„que tum mobilia, tum immobilia redu-  
„cantur, atque eorum, qui interfecti sunt,  
„viduæ, & hæredes succedere illis possint,  
„bonorumque possessionem impetrare. Quem  
„in finem jubet omnes Magistratus illis ad-  
„jumento esse, prohibereque, nequis illis  
„injuriam asserat, pœna capitis in eos, qui  
„non paruerint, constituta. Præterea sta-  
„tuit, ut novam opinionem sectantes nihil  
„deinceps adversus regiam Majestatem mo-  
„lian-

„liantur, nullamque opem, aut consilium  
„aliquid molientibus præbeant: quod si  
„quosdam aliquid moliri sciverint, palam  
„faciant, atque detegant. Ut autem omnis  
„dubitandi occasio tollatur, quoniam in illo  
„edicto vigesima octava die Augusti dato  
„verba hæc inserta sunt, ( nisi tamen ex  
„eorum numero fuerint, qui superioribus  
„bellis rei militari præfuerint, opemve, aut  
„consilium illis præbuerint, aut novissimæ  
„conspirationis conscii, ac participes fue-  
„rint ) regia Majestas declarat excludi eos,  
„qui in superioribus bellis versati sunt, hoc  
„est ante pacificatorium edictum promul-  
„gatum mense Augusto anni millesimi quin-  
„gentesimi septuagesimi, vetatque, ne cui  
„ob eam causam negotium fiat: quoniam  
„illa verba de iis tantum intelligenda sunt,  
„qui postremæ conspirationis in regiam Ma-  
„jestatem participes fuerunt. Alios autem,  
„qui forte captivi in carceribus detinentur,  
„solvi, ac missos fieri jubet. Quod si qui  
„ex eorum numero religionem Catholicam  
„Romanam amplecti volent, jubet eos in  
„hoc sancto instituto, a præfectis, rectori-  
„bus, Magistratibus denique omnibus con-  
„firmari, eorumque affines, ac propinquos  
„in hunc finem adhiberi, vetatque, ne illis  
„ulla injuria inferatur. Et ad novam illam  
„opinionem abjurandam usurpabitur ea  
„formula, quam edicto subjungi mandavi-  
„mus. Lutetiæ 20. Septemb. 1572.

*Huic epistolæ Auditor in suo libello subjunctit literas a Rege ad Guisium, aliosque Provinciarum Præfectos scriptas, quibus omnia pacificationum edicta abolentur, atque subvertuntur, & unicam religionem Romanam Rex se in suo regno retinere velle profitetur.*

„Posteaquam Rex animadvertit, neque de-  
 „clarationem, quam promulgavit su-  
 „per iis, quæ superioribus diebus in hac  
 „urbe Lutetiæ acciderunt, neque manda-  
 „ta, quæ quoquo versus misit ad omnium  
 „provinciarum Rectores, & Magistratus, &  
 „Curias Parliamentorum, aliosque juridi-  
 „cos, potuisse usque adhuc inhibere cædes,  
 „direptiones, & rapinas, quæ in maxima  
 „parte urbium hujus regni magno Maje-  
 „statis suæ cum dolore acciderunt: opti-  
 „mum factu judicavit, Rectores omnes in  
 „suas provincias mittere, sperans, atque  
 „adeo confidens, fore, ut pro sua potesta-  
 „te perficiant, ut regiæ Majestati parean-  
 „tur. Itaque literas patentes, ac diplo-  
 „mata eis dari jussit, quibus voluntas ipsius  
 „continetur. Præterea Dux Guisius, Gu-  
 „bernator, & Præfectus Generalis Regis  
 „in Campania, & Bria evocabit ad se No-  
 „biles, qui novam opinionem sectantur, iis-  
 „que exponet, voluntatem Regis hanc esse,  
 „ut cum ipsos, tum ipsorum conjuges, ac  
 „liberos tueatur, fruique suis bonis, & pos-  
 „sessio-

„sessionibus pertmittat: dum tamen ipsi  
„placide, & modeste se gerant, & regiae  
„Majestati obsequium, quod ei debent,  
„praestent. Quod si fecerint, Rex dabit  
„operam, ne per Magistratus, vel alios ve-  
„xentur earum rerum nomine, quæ acci-  
„derunt superioribus Galliae motibus, hoc  
„est, ante pacem factam mense Augusto  
„1570. Tum illos amice commonefaciet,  
„ne diutius in errore novarum opinionum  
„perseverent, hortabiturque, ut ad Catho-  
„licam religionem revertantur, redeantque  
„in gratiam cum Ecclesia Apostolica Ro-  
„mana, in cujus fide, & obsequio superio-  
„res, eorumque subditi sancte vixerunt,  
„regnumque hoc diligenter conservatum  
„est: revocabitque in memoriam detrimen-  
„ta, & calamitates, quæ in hoc regno ac-  
„ciderunt, posteaquam istæ novæ opinio-  
„nes hominum mentes, atque animos oc-  
„cuparunt, quot cædium causam præ-  
„buerint, quam alienarint sectatores ipsa-  
„rum ab ea via, quam Majores ipsorum te-  
„nuerunt. Quemadmodum illæ opiniones  
„averterunt ipsos primum ab Ecclesia, de-  
„inde a suis propinquis, & a servitio, at-  
„que obsequentia Regi debita: cujus rei  
„multa post hunc Regem inauguratum do-  
„cumenta extiterunt. Etsi autem aucto-  
„res, ac principes tumultuum actiones suas  
„tegere, & velare voluerunt prætextu re-  
„ligionis, & conscientiae: tamen effecta

„docuerunt, nomen religionis tantum ad  
„speciem usurpatum fuisse, ut eo prætextu  
„machinationes omnes, & rebelliones te-  
„gerentur, hominesque subornarentur, &  
„ad jusjurandum adigerentur, tanquam ali-  
„qua religionis causa subesset: atque his  
„rationibus abducerentur a naturali obse-  
„quio, & studio, quod Regi debent. Sa-  
„tis enim constat, sectatores opinionis  
„novæ regis mandatis, atque Imperiis  
„nunquam paruisse, nisi quatenus ipsorum  
„Ducibus, & signiferis placuerit. Ex con-  
„trario. Duces ipsorum jusserunt ar-  
„ma capi, urbes occupari, templa spoliari,  
„& comburi, regnumque universum sangui-  
„ne, & incendiis repleri. Qui vero illos  
„sectabantur, fidem, & obsequium, quod  
„Regi debebant, obliviscebantur, ut illo-  
„rum Ducum mandatis obtemperarent.  
„Quæ omnia si prædicti Nobiles cum ani-  
„mis suis reputare velint, facile cognoscent,  
„quam misera, & infelix illorum conditio  
„futura sit, si diutius in illis opinionibus  
„permaneant, nam per se ipsi cogitare  
„possunt, Regem, qui tot pericula exper-  
„tus est, (ex quibus Dei benignitate est li-  
„beratus, postquam multis incommodis,  
„& calamitatibus affectus fuit, eorum ope-  
„ra, qui causæ istius duces, & sectatores  
„fuerunt) nunquam lubenter ejus Nobilis  
„subjecti sui opera usurum, qui aliam in re-  
„ligione opinionem præter Catholicam se-  
„cta-

„stabitur, in qua religione Catholica Rex  
„Majorum suorum vestigia consequens, vi-  
„vere, & more statuit. Decrevit præter-  
„ea diffidentiae omnis inter subjectos suos  
„tollendae causa, & discordiarum omnium  
„sedandarum gratia, ut omnes, ac præ-  
„sertim Nobiles, quorum opera utitur in  
„amplissimis functionibus, quique cupient  
„ab ipso Rege pro bonis, & fidelibus sub-  
„jectis agnosci, gratiamque ipsius inire, &  
„operam illi suam in regni negotiis obeun-  
„dis navare, profiteantur se deinceps unam,  
„eandemque cum ipso religionem secutu-  
„ros. Comperit enim, discordias, & bella  
„civilia nunquam finem habitura in ea re-  
„publica, ubi varietas religionis hærebit,  
„impossibileque esse Regi illam religionum  
„pugnantiam tueri, nisi subjectorum suo-  
„rum animos a se alienare velit. Quippe  
„cum ii, qui alterius sunt religionis ab ea,  
„quam Rex colit, nihil taciti aliud optent,  
„nisi Regis, & Reipublicae mutationem.  
„His de causis prædictus Dux Guisus co-  
„nabitur persuadere nobilibus, & aliis ho-  
„noratis viris, ut libenter, atque ultro ad  
„religionem Catholicam revertantur, &  
„novam abjurent, neque aliam planiorem  
„Regis voluntatem expectent. Nam quo-  
„modocunque id fiat, Regi deliberatum est,  
„subjectos suos cogere ad eandem, quam  
„ipse profitetur, religionem colendam: ne-  
„que unquam permittere (quicquid accide-

„re possit) ut alia sit forma religionis in  
„suo regno, quam Catholica. Idem Dux  
„Guifius hæc Regis mandata communica-  
„bit cum summis quibusque Magistratibus,  
„& juridicis suæ provinciæ, ut intelligant,  
„cujusmodi sit ipsius voluntas, quodque  
„ipfius sit studium, nimirum conservandæ  
„quietis, & pacis inter suos subiectos, ut  
„prædicti Magistratus unacum Duce Guifio  
„voluntatem Regis exequi studeant, & pa-  
„cem, ac tranquillitatem totius regni pro-  
„curent. Ballivi, & Senescalli, qui non  
„sunt ejus conditionis, & religionis, quam  
„Rex præscribit, abdicabunt se intra men-  
„sem suis præfecturis, & officiis, eaque  
„Nobilibus capacibus, & religionem præ-  
„scriptam colentibus cedent, ac resigna-  
„bunt. Quod si huic mandato non paruerint,  
„regia Majestas ex nunc prout exhinc decla-  
„rat illos officiorum, ac præfecturarum sua-  
„rum expertes. Eadem tamen Majestas  
„permittit illam cessionem, & resignatio-  
„nem fieri sine ulla in Fiscum regium lar-  
„gitione: omnes Archiepiscopi, & Episcopi  
„in suis Diæcesibus permanebunt. Qui ve-  
„ro propter senectutem, & valetudinem  
„concionari, & verbum Dei annuntiare, &  
„per se populum ædificare, aliasque fun-  
„ctiones Ecclesiasticas obire non poterunt,  
„cogendi sunt adsciscere conductorem quem-  
„dam, qui laborem ipsorum sublevet, &  
„ipsorum munus obeat, eique conductori  
„ido-

„idoneam, ac honestam pensionem assigna-  
 „bunt, pro ratione fructuum, & proven-  
 „tuum ipsius beneficii. Curati, sive Paro-  
 „chi similiter in suis Parochiis residebunt,  
 „aut eas assignabunt aliis, qui residere po-  
 „terunt, & suis officiis fungentur. Archi-  
 „episcopi, & Episcopi inquirent in eorum  
 „vitam, qui fruuntur Abbatiis, Priorati-  
 „bus, aliisque beneficiis, quæ in ipsorum  
 „Diæcesibus sunt, cujus sint conditionis,  
 „quemadmodum officio suo in suis præse-  
 „cturis, & beneficiis fungantur, eamque  
 „inquisitionem literis mandabunt, & per-  
 „scriptam Gubernatoribus provinciarum  
 „tradent, ut illam Maiestati regis trans-  
 „mittant: ut si quo forte remedio opus fue-  
 „rit, provideat. Cogent Parochos in suis  
 „beneficiis actualiter residere, vel alios in  
 „ipsorum locum substituent, secundum Ca-  
 „nonum decreta. Datæ Lutetiæ 3. No-  
 „vemb. 1572.

*Ad hujus argumenti confirmationem ad-  
 ducuntur alicæ literæ a des Gorges Præsede  
 generali regio Delphinatum provincie scriptæ  
 ad quosdam, qui in ejus præfectura sunt, quibus  
 illos hortatur, ut ad Romanam religionem  
 redeant, nam Regi deliberatum erat nullam  
 aliam ferre.*

„Domine, tuarum actionum non sum ne-  
 „scius, sed in memoriam revocare de-  
 „beres



„beres documenta, quæ ad te antea dedi,  
 „& tua sponte ad Religionem Catholicam  
 „redire, qua nullum fortius propugnacu-  
 „lum pro tua salute, & conservatione eli-  
 „gere posses, abigendo a te omnes, qui in  
 „contrariam sententiam te adducere vel-  
 „lent, & libentius omnis generis motus,  
 „ac perturbationes viderunt, quam de sua  
 „opinionem ne tantillum quidem cederent.  
 „Atque hoc modo Regi patefaceres id de-  
 „siderium, quo te teneri ais, ut obsequium  
 „suæ Majestati debitum præstes, etenim illi  
 „deliberatum est alterius Religionis, quam  
 „supradictæ, exercitium in suo Regno non  
 „tolerare: teque certiolem facio, quoniam  
 „tibi bene cupio, si ita feceris, nec aliud  
 „expressius mandatum expectaris, tibi ma-  
 „ximo fore commodo. Quod si secus, cre-  
 „de, nihil præter malum tibi accidere posse,  
 „foreque, ut Regia Majestas velit sibi tan-  
 „dem obsequium præstitum iri. Quare  
 „Deum oro, ut tibi consilium dare, & suas  
 „benedictiones largiri dignetur. Gratia-  
 „nopoly 6. Decembris 1572. tibi omni ex  
 „parte bonus amicus. *Gordes.*

*Sequitur postea responsio Nobilium, Ca-  
 pitaneorum, Civium, aliorumque, qui Ru-  
 pellæ sunt, ad mandatum de præsidiariis  
 militibus recipiendis Regis nomine allatum.*

„Nos nobiles, capitanei, cives, atque  
 „alii, qui in hac urbe Rupella sumus,  
 „ad

„ad tua Domine Legate postulata, quæ  
„nobis Regiæ Majestatis nomine proposuisti,  
„sic respondemus: nimirum non agnosci a  
„nobis mandatum illud, quod in hac urbe  
„promulgari postulas, a Regia Majestate  
„datum esse, cujus rei testem eandem Ma-  
„jestatem imploramus, ejusque literas 22.  
„& 24. die Mensis Augusti ad nos datas,  
„Chirographum præterea, & ipsius ma-  
„num, necnon earundem literarum pro-  
„mulgationem in hac urbe factam. Nam  
„in illis literis Regia Majestas omnem no-  
„vorum tumultuum, & cædium Lute-  
„tiæ patrarum culpam in Guilianam fa-  
„miliam transfert, affirmans satis sibi ne-  
„gotii fuisse in arce sua Lupara, ubi sese  
„continebat, præfidiis, & corporis sui cu-  
„stodibus firmanda. Neque unquam ad-  
„ducemur ad credendum nefaria illa con-  
„silia, & immania facinora in mentem  
„Regi nostro venire potuisse, tantum abest,  
„ut de ipsius mandato sint patrata, juxta  
„id scriptum, quod nobis attulisti, aut  
„eum adeo improbis usum consiliariis, ut  
„sibi brachia amputaret, sacrasque Soro-  
„ris suæ nuptias tam multorum nobilium,  
„& innocentium sanguine cruentare voluif-  
„se, adeoque immanis facinoris ignominia  
„polluere, gentique Franciæ, & Regiæ  
„Agnationi, quæ semper laudem humani-  
„tatis præter ceteras gentes tulit, macu-  
„lam inurere, ac scriptoribus argumentum  
„historiæ

„historiæ tragicæ conscribendæ præbere:  
„cui similis ex omnium sæculorum memo-  
„ria nulla extat, quam denique neque le-  
„gere, neque audire posteri sine horrore  
„poterunt. Quin potius credimus, eos, qui  
„auctores in Gallia superiorum barbararum  
„fuerunt, huic consilio Romæ incubuisse,  
„atque fovisse, quod tandem Lutetiæ ab  
„iisdem ad exitum perductum est. Sed quo-  
„quo modo se res habeat, negamus ex ore  
„Regis calidum, & frigidum exire: nega-  
„mus illum modo hoc, modo illud pronun-  
„tiare, modo album, modo nigrum, unum  
„idemque affirmare, cujus rei, si istud scri-  
„ptum ex ipsius Auctoritate profectum esset,  
„argui videretur: cum antea nobis scri-  
„pserit, testatusque sit, sibi in animo esse  
„edictum suum pacificatorium sanctissime  
„observare: cædes, & trucidationes illas  
„magno suo cum dolore Guisianorum vio-  
„lencia, & impetu factas esse, quibus cum  
„ipse resistere vellet, non potuit. Mox ve-  
„ro illud abroget, scribatque, cædes, &  
„trucidationes illas se jubente, atque im-  
„perante esse factas. Atque hoc nomine,  
„nos nobiles, Capitanei, & alii, qui tibi  
„hoc responsum damus, denuntiamus nos  
„paratos esse, sive duello, sive alio dimi-  
„candi genere, Regis nostri dignitatem ad-  
„versus eos omnes tueri, qui res sacras  
„polluunt, & hujusmodi scriptis, & ser-  
„monibus Regiæ Majestatis dignitatem, &  
„Prin-

„Principum Regii Sanguinis existimatio-  
„nem, quantum in ipsis est, dedecorant.  
„cujus rei argumento sunt tot strages, quæ  
„etiam nunc Lutetiæ, aliisque multis in  
„locis fiunt, tot nobilium, mulierum, at-  
„que infantium, necnon juvenum studio-  
„forum, qui secunda a Deo Regnorum, &  
„rerum publicarum olim futura firmamen-  
„ta sunt, trucidationes. adde innumera,  
„immania, & barbara facinora, quæ pas-  
„sim committuntur. His igitur de causis  
„arbitramur, ac judicamus Regiæ Maje-  
„stati, & Illustrissimis DD. ejus Fratribus  
„vim esse illatam, & Guisianos jam, ut  
„sæpius antea tentarunt, regnum velle oc-  
„cupare: denique Regiam Majestatem ab  
„eisdem Guisianis, qui tumultuosæ, & re-  
„bellis plebis Parisiensis opera, & auxilio  
„fruuntur, cogi, atque coarctari. Nam  
„quod ajunt Admiralium, & reformatæ re-  
„ligionis cultores, conjurationem adver-  
„sus Regiam Majestatem, hujusque con-  
„sanguineos fecisse, æque magnam mere-  
„tur fidem, ac æquitas illa laudem, qua  
„(inquam) æquitate tum usi sunt, cum  
„conjurationis infimulatos prius supplicio  
„affecerunt, quam in ipsorum factum in-  
„quirerent; ejus enim rei veritas non a tem-  
„pore, quod occulta patefacere dicitur,  
„est expectanda, quandoquidem oculis  
„cernitur, atque manibus tangitur, neque  
„quis-

„quisquam est, ne Romanæ quidem Re-  
„ligionis cultor, in quo tantillum modo  
„humanitatis resideat, quin hæc eadem  
„fateatur, pudoreque suffusus capite ince-  
„dat inclinato, atque toto corde, & pleno  
„ore crudelibus nefarii illius consilii autho-  
„ribus, & opificibus male & cupiat, & di-  
„cat, qui pacem publicam perturbarunt,  
„nec magis quam antea ferre potuerunt,  
„ut hoc miserum regnum diu otio, & pace  
„frueretur, quam solus Rex, Deo primo  
„Authore, sapienter constituerat, parique  
„modo sancte observandam curabat: cujus  
„fructum omnes magna cum voluptate gu-  
„stare cœperant, solis pacis adversariis, at-  
„que huic regno inimicis, Guisianis scili-  
„cet exceptis. Ceterum ubi Regia Maje-  
„stas ab ipsorum manibus, & potestate li-  
„berata, quænam sit sua voluntas, decla-  
„rarit, conabimur hujus mandatis, atque  
„imperiiis obtemperare omnibus in rebus,  
„in quibus conscientia nostra, quæ soli Deo  
„debetur, non violabitur. Alias malumus  
„terram potius, quam cœlum deserere, &  
„& caduca potius, quam cœlestia domici-  
„lia relinquere, interea obsequentes juri  
„naturæ, & officio, quod tum Principi  
„nostro, ejusque sceptro, & coronæ, tum  
„etiam nostræ, conjugum, ac liberorum  
„nostrorum saluti debemus, quoad poterim-  
„us, nobis cavebimus, neque nos in eo-  
„rum

„rum potestatem dedemus, qui ficto no-  
„mine Regis cruenta Guisianorum man-  
„data ad nos deferunt: ut eadem perfidia,  
„& crudelitate erga nos utantur, qua nu-  
„per erga fratres nostros, qui apud Re-  
„giam Majestatem erant, usi sunt: quos  
„in ipsius sinu, atque complexu, & veluti  
„sub alis vestimenti regii trucidarunt, quod  
„proditores extranei sanguine vere Fran-  
„cico cruentarunt, cum Regia Majestas se  
„opponere, & nefarios eorum conatus a-  
„vertere non posset: tantum abest, ut jam  
„nos tanto itineris intervallo a se distinctos  
„tueri, ac conservare possit juxta animi  
„sententiam, quæ cum nobis sit cognita,  
„ad arma capienda nos incitat, ut salutem  
„nostræ consulamus, & privilegia, quæ  
„nobis concessit, tueamur, donec nos ad-  
„versus suos, & nostros hostes conservare  
„possit.”

Hæ sunt illæ literæ, ex quibus Auctor  
simulatum Caroli Regis animum demon-  
strare, ac ipsummet Bartholomæanæ cædis  
Auctorem existisse, tanquam luculento  
argumento ostendisse arbitratur: enimvero  
mearum partium non est, hunc Regem ab  
hac nota immunem vindicare, aut forte  
hujus cædis conscium ad censuram vocare;  
id tamen omnino certum est, quod Rex  
hosce Calvinistas, eorumque Antesignanos  
non propterea neci dari jusserit, ut ipsis  
præ-

prætenſam conſcientiæ libertatem, ac promiſſum Religionis uſum adimere voluerit, ſed ideo, quia indulta hac libertate abutentes Regnum ſeditionibus ſædare, Regis vitæ, & auctoritati inſidias ſtruere, ſenſimque armorum potentia, ac tumultuum præſidio ſceptrum ſibi vindicare, necnon Catholicam Religionem penitus evertere moliti ſunt, proin Rex illos non tanquam Calviniſtas, ſed velut rebelles ſubditos, regni proditores, & patriæ, publicæque tranquillitatis everſores, ſæpiusque læſæ Majeltatis reos promeritis pœnis ad officium redigere decernebat: quis autem ſupremo Principi, jus auctoritatemque denegare audebit, in ejusmodi ſceleratos animadvertendi? ſi Calviniſtis ad tuendam falſam ſuam ſectam privata auctoritate licuit, multa Catholicorum millia trucidare, in Regem, Regnumque conjurare, ipſumque famoſis libellis proſcindere, num Regi, ac legitimo Principi pro conſervanda vera fide, regniſque ſalute non licebit publica auctoritate domeſticos ejusmodi hoſtes tot publicorum ſclerum reos plectere? Nonne luce meridiana clarius eſt, quod Calviniſtæ, priuſquam in eos communis hæc pœna fuerat Pariſiis decreta, ſeſe perduellionis, aliorumque graviffimorum ſclerum reos fecerint? quis credat, quod ipſi etiam Regum ſuorum, qui apud illas quoque gentes,

tes, quibus nulla est Religio, sancti habentur, sepulcra evertere, atque omni contumeliarum genere conspurcare non abhorruerint, & tamen hi Francisci II. cor, Ludovici XI. Corpus, aliorumque Principum ossa indignissimis modis habuere, atque igne concremarunt. Nunquid omnium Historicorum testimonio, ac ipsa veritatis evidentia patet, quod Franciæ Regnum antehac bello paceque florentissimum ab eo tempore, quo Calvinistæ ex infantilibus sui Magistri cunis prodierant, atque eorum Ministri seditiosas conciones habere cæperant, immani strage discerptum, laceratum, ac tum quinto jam bello civili penitus deformatum fuerit, urbesque & integræ Provinciæ incendiis, rapinis ac cædibus devastatæ, & plura centena civium millia sub specioso tuendæ reformationis obtentu trucidata fuerint: nec tamen fratrum, civiumque suorum sanguine satiata erat Calvinistarum furentium rabies, sed insuper Germanos, Danos, Helvetios, Anglos & Batavos, exteros sectæ factionisque suæ socios evocabant, ut juncta cum illis opera totum Regnum communi ruinæ involverent: At ne hoc quidem satis: insuper etiam hi rebelles in Regem suum conjurare, eidem insidias struere, arma in eum sumere, apertam ei vim inferre,

*Hist. Eccles. Tom. XLIX.*

d fractis-



fractisque juratæ fidei legumque repagulis bellum ei indicere, ac inferre attentarunt: quem enim latent Renaudianæ conspirationes, cujus in Regiam familiam conceptæ incentores erant Calvinistarum Ministelli? Nonne hi Franciscum II. Regem suum Ambosiam auffugere compulerunt, atque dum ibidem adversus eorum furorem asylum quærebat, urbem obsederunt, ut Regem captum abducere possent? quid magis barbarum erat, quam Carolum IX. Meldis intercipere, insidias fruere, atque vim adhibere, adeo, ut cum Lutetiam fugere cogeretur, nonnisi ab Helvetiis justam vim iniquæ Calvinistarum violentiæ opponentibus periculo subduci potuerit: nonne perduellionem testantur tot urbes Regi suo ereptæ, incensæ, ac spoliatæ, totque hostiles copiæ adversus Regem suum undique conscriptæ? Si hæc atrox non est proditio, læsæque Majestatis crimen, quid demum fit perduellio, cunctos latere oportet: quid memorem inauditam Calvinistarum petulantiam, qua toties Francisci I. & Henrici II. tempore in regnum Regesque suos tectas fraudes occultasque machinationes tam periculose moliebantur, ut illos pœnarum metu jam tum coercere necesse esset, irrito licet conatu; hi enim imbellicem Regum pupillo-

pillorum ætatem, & aulam factionibus scissam, Reginæque Matris indulgentiam in rem suam vertentes, brevi in apertam vim erumpebant, atque incredibili furore, & insana atrocitate Religionem Catholicam, in qua tamen ipsi, eorumque Majores enutriti erant, insectabantur, ac paulopost, cum tres Castillionæos Principes, præter Borbonium suæ factionis Duces cernerent, omnes honestatis, ac moderationis limites excedebant, adeo, ut præ ceteris Caspar Colinius Architallassus ex præfatis tribus fratribus primogenitus post colloquium Possiacense per summam audaciam bis mille centum quinquaginta Catholicorum Tempia intentatis etiam minis pro Hugonottis a Regina postulare non erubesceret: postea crescente eorum audacia Parisinum Templum excitato ingenti tumultu violenter invadebant, sensimque eadem furentium barbaries per omnes grassabatur Provincias, ut merito dici valeat, quod profanationes Parisiis impune patratæ velut classicum ad Universalem crudelitatum & rapinarum licentiam esse viderentur; mox enim ubique Tempia Deo sacrata, summaque Religione hucusque frequentata fuere spoliata, eversa, cineribusque sepulta, vel cultui nuper a quodam hæresiarcha temere adinvento dicata, pariter

ter ipsæ Christi Domini, suæque Genetricis, ac Sanctorum imagines pedibus conculcatæ, ac contritæ, ipsaque eorum avaritia profanis spoliis nondum satiata etiam aurum, argentumve, quod in Dei honorem oblatum erat, in nummos cussum, campanæ, ceteraque ærea vasa vel statuæ in bellica tormenta fusæ, sacraque omnia profanata, polluta ac contaminata fuerunt; enimvero ipsa Mahometanæ superstitionis immanitas ad propaganda sua deliria armis magis sacrilegis æque ac impiis uti haud potuisset: ne vero quicquam ad efferatæ crudelitatis cumulum deesset, majorem adhuc rabiem in Sacerdotes & Religiosos effundere certabant; hi enim equorum caudis alligati per plateas passim raptabantur, effosisque oculis, abscissis etiam auribus, naribusque tumultuantis populi ludibrio exponebantur, vivis quoque pellis fuit detracta, alii in fervens oleum injecti, alii dum pedum plantis solex ferreæ clavis impactæ erant, aratrum trahere coacti verberibus laniebantur, donec exanimes corruerent: non pauci vivi ex integro, alii capite tenui sepeliebantur, in aliorum vero capita toto corpore terræ immerso globis ludebatur, vel in tonsos Monachorum vertices clavi adigebantur, vel bulliens oleum affun-

affundebatur : pluribus etiam Calvinistæ linguam sub mento extrahebant, vel exsecto ventre ad pascendos equos avenam injecerunt. Præterea Sacerdotem ad Missam accinctum sacro habitu indutum vi e Templo extrahebant, impositoque ad ludibrium probroso pileo, humerisque hasta, ad portam vigilias agere compellebant: alium jamjam octogenarium fune collo injecto prope nudum spineis virgis flagellarunt, & demum glande trajectum ex arbore suspenderunt, non aliam ob culpam, nisi quod hi omnes veræ Religioni firmiter addicti novæ eorum sectæ nomen dare renuissent. Taceo innumera alia hæreticæ crudelitatis specimina, quibus in omnes promiscue Catholicos, atque ipsas etiam foeminas ac infantes sæviebant: Sileo, quod ne ipsis quidem mortuis pepercissent, sed eorum cineribus in profluentem sparsis, ipsa etiam sanctorum Irenæi, Eutropii, Martini, Juliani, Benigni, Francisci de Paula, Aufonii, Agnani, Hilarii, aliorumque corpora cum summo ludibrio aut concremarint, aut profanarint.

Jam vero tanta tamque atrociam in Deum, Regem, Religionem veram, regnumque patrata scelera impune tolerare,

nonne maxime impium foret? qua ergo fronte Carolum Regem tanquam crudelem, & Sanguinarium traducere audent, si hosce rebelles, ac sceleratos debitis pœnis castigare statuit, dum ipsi nequaquam a Catholicis provocati aut laceffiti, sed ipsimet priores ejusmodi atrociam facinora perpetrarint: non diffiteor, quod fervente eorum sævitia nonnunquam Catholici immoderato Zelo abrepti etiam in quosdam Calvinistas suam rabiem exercuerint, ast id nunquam impune fecerunt, semper Regum jussu a Magistratibus castigati, cur ergo ipsi longe atrociora eorum crimina impune toleranda contendunt? Attamen cetera inaudita sævitæ, libidinis atque impudicitæ exempla recensere prætermittito, cum passim etiam Protestantes historici omnium scelerum colluviem, qua Calvinistæ eo tempore in Francia sese contaminarunt, detestentur, atque æternæ execratione sepelienda censeant.



CON-